

1502 stratus: neque vos fisco debentium auctoritas deterreat, ne quid facere contra ipsorum voluntatem audeatis: abunde vobis aderit, quod queritur: neque tenuiorum, sed bonorum tamen civium sudorem, aut potius sanguinem exugere cogemini. Quid autem? nonne cives illud etiam vos impellere ad legem repudiandam potest, quod multi magistratus, ut sit unde se, liberosque suos alant, non tam justitiam in jurisdictionibus agitare, quam servire quæstui, & studere lucro statuent; dum ea, quæ injuria sibi erepta existimabunt, quoquo modo sarciant? Quamobrem omnia passim erunt venalia, neque immerito, quoniam ita Senatus & civitatis principes decreverunt. Animus mihi cives eo anno tum, cum primo lex est lata, suadebat, ut ejus latroni contradicerem: sed me Senatus auctoritas continuuit, quod existimabam ea vestra incommoda annum tantum duratura, neque legem tam iniquam iri prorogatum verebar: ita me mæ cogitationes fefellerunt. Nunc eo res est perduta, ut in vestra manu atque sententiis tamen sit totius rei exitus. quod si vos legem iterum jussieritis, quid erit causæ, quare non aut eam optimates singulis annis ferant, aut vos, quod secundo probavistis, tertio etiam & quarto sanciatis? ita res in exemplum cesserit: vos, cum rumor belli aliquis paulum excitabitur, statim plectemini: ea semper erit magistratibus opportuna erogandæ pecuniae ratio: semper reipublicæ beneficio spoliabimini, quod esse verstrum solidum atque proprium debuerat. Quare censeo ut legem rejiciatis, ne, vestra quæ sunt, ipsimet projiciatis, neve ullis ab hominibus ludibrio vobis libentibus habeamini.

Hæc cum esset Minius concionatus, magna perturbatio comitium tenuit, quoad, quis ei responsum esset, sciri potuit, Lauredano Principe sua se e sella sublevante, qui stans dicere sic est exorsus: Valde me hodie cives a mea de Joanne Antonio Minio spe atque opinione deceptum fateor, qui cum mihi heri esset dictum, contra legem, quam ferimus, verba illum apud vos velle facere, non credidi: neque enim persuadere mihi poteram, hujuscem